



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Quæsitio sui quantoperè sit vitanda. Cap. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Precatio eō-  
ra loquaci-  
tatem.  
Detractions  
& oblo-  
quutiones  
quantopere  
sunt fugiendae.

*Solitudinem vado. Item: Ego non fugio homines seu fratres, sed me ipsum, & propriam linguam meam fugio. Pissime Iesu miserere mei. Detractiones, obloquutiones tam loqui quam audire, adeo tibi esse debet alienum, vt singulari proposito contra has non egeas. Nimis enim omnibus manifestum est eas cauere debere. Atque ideo si incidant, vbi prohibere non potes, tu recede, vt vel hoc signo alij, quam agant perperam discant. Roga autem Dominum vt emendanda ipse corrigat. De rumoribus quoque seculi, quae nihil spiritualis profectus adducunt, elige magis nescire, quam de ijs quid audire velis. Generant enim distractiones & cogitationes inutiles.*

*Quaestio sui vitanda quantopere sit.*

CAPVT XX.

Quaestio  
propria vt sit  
vitanda

1. Cor. 10.

**I**N omnibus quae facis, vide ne temetipsum quaeras, hoc est non tuum commodum, non vtilitatem, non profectum, non requiem etiam corporis, nec vt propterea tu leuius faciliusque habeas: sed hoc quod Deo acceptissimum, quod communitati vtilissimum sit elige. Sic enim Apostolus quoque, vt non quid vni, sed quid pro multis obseruemus, admonet. Nihil igitur propter te optes fieri, quod proximo non conueniat, nihil quaeras, nisi denique fieri consentias quamlibet fructuosum ( nisi pro voluntate Dei tibi fuerit necessarium ) quod noceat proximo: sed ad charitatem seruandam quicquid sit accommodatissimum inquire, illudque elige. Porro honor Dei, eundemque beneplacitum omnibus vtilitatibus & commodis sunt anteferenda.

*Gloria vana quanta sit diligentia vitanda.*

CAPVT XXI.

Vana gloria  
quam in studiose  
cauenda.

Matt. 25.

Opera bona  
quando sint  
cauenda.

**A**Ma nesciri, & nihil palam ostentes, nec hominibus tu placere studere. Non optes vt de te bene sentiant homines, nisi in graui id re necessitate fuerit, aut pro grandis mali suspitione amouenda. Quid enim tibi prodest homini reuelare ea quae vel eidem vel alteri bona feceris? Nunquid haec vt illi narres, vt iactes, vt ex ijs glorieris, propterea fecisti? Num ideo narras, quasi ab illo pro beneficijs mercedem accepturus? Nonne quicquid proximo facis, siue clam, siue in publico, Christo facis, ab eodem recepturus mercedem: Nunquid hominis gratiam, amicitiam, consolationemue affectas? Haud quaquam. Hominibus quidem facienda sunt bona, sed non propter homines, sed propter Christum, haec impendenda sunt. Christo haud necesse est reuelari tua: omnia enim sunt eius oculis nuda & aperta. Porro reuelare homini quae illi feceris, est aut captare illius benevolentiam, eiusve gratiam affectare, aut quasi ingratitude illum arguere, hoc est, beneficium exprobrare. Sincerius igitur ages si taceas, ne iactando beneficium, non solum pro illo nullam à Deo recipias mercedem, sed amissa etiam, quam aliqui habiturus fueras mercede, propterea quod te ipsum & humanum fauorem quaesisti supplicium à Deo merearis. Statue igitur omne opus bonum, & quicquid laudari ab hominibus solet celare nisi id manifestari oporteat, propter vitandum scandalum. ( vt sunt ea ad quae obligamur omnes, aut propter cuiuspiam informationem, aliamue necessitatem. *Adiuua me Domine Deus meus.* )